

ARTICULUS IV.

Modus canendi vel recitandi Horas Canonicas.
Ex Psalt. Rom.

I. **P**ura mentis elevatione; id est, intellectualiter, quia stas in conspectu Judicis, Angeli custodis, & inimici tui persequentis.

II. Plena cordis attentione; id est, affectualiter, desiderando ut Deus laudetur, cœlestis curia lætetur, totus mundus juvetur.

III. Perfecta oris pronuntiatione; id est, integraliter, ut nihil prætermittas dicendum, supperaddas, inordinatum hinc inde transponas.

ARTICULUS V.

Exhortatio ad psallentes. Ex eod. Psalt.

Cum Domino psalles, psallendo hæc omnino erves.

Dirige cor sursùm, benè profer, percipere sensum.

Spire in medio, pede juncto, deprime vultum.

Versus posterior videat finem anterioris.

Non vox, sed votum, non consona musica, sed cor.

Non clamor, sed amor, Domini pertingit ad aures.

CAPUT SEXTUM.

Media Clericis omnibus perutilia ad perfectionem & salutem æternam consequendam.

ARTICULUS I.

Solitudinis amor.

Non in commotione Dominus; quapropter, quando ad cor sponsæ loqui dignatur, eam in solitudinem ducit, ut ipsa claudens aurem ad vocem foris sonantem, audiat veritatem ejus intus docentem, & ut clausis oculis ad exteriora, cœlestia penetret & interiora. In montem sæpè ascendens Jesus, discipulos suos in hac solitudine docebat. Hinc Propheta Regius elongans se, manebat in solitudine; ibi fiebat sicut passer solitarius in tecto. Hinc Job & alii sanctissimi viri, tum veteris, tum novi testamenti, faciebant sibi solitudines ubi gaudia futura jam prægustabant.